

1. 16. 1. 2.

Q. D. B. V.
DE

546

DEPOSITO,
EXERCITATIONEM JURIDICAM,
Sub Præsidio
DN. CASPARIS ZIEGLERI,
J.U.D. Consiliarii Electoralis Saxonici
& Facultatis Juridicæ Ordinarii, &c.

*Patroni sui ac Promotoris omni honoris
& obsequii cultu prosequendi,*

Placidæ Eruditorum disquisitioni
proponet publicè

DANIEL Riegel / Torg. Misn.
Notar. Publ. Cæsar.

Horis consuetis
Ad diem 22. Martii. MDCLXXXIV.

Diss. jur. civ.
141/76

VVITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI FINCELII

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis,
Consultissimis, ac Clarissimis,*

DN. ADAMO CHRISTOPHORO JACOBI,
Jcto consummatissimo, in Göbern, Niderfehra & Tzcheila
Hæreditario, potentissimi *Electoris Saxonie* in Senatu Appellatio-
num & Proto Synedrio Consiliario Splendidissimo, ac Reip. Dresdensis Syndico:

DN. ANDREÆ Hahn / Jcto Magno,
Sereniss. ac Potentiss. *Electoris Saxonie*, Circuli Electo-
ralis & Quæsturæ VVittenbergensis Præfecto longè gravissimo.

DN. MICHAELI STRAUCHIO,
Mathem. Infer. Professori Publico celeberrimo.

DN. MICHAELI VVALTERO,
Mathem. Superiorum Profess. Publ. famigeratissimo,
& Alumnorum Electoralium EPHORO gravissimo.

DN. CHRISTIANO SCHMIDIO,
Notar. Publ. Cæsar., Electoralium redituum administratori
Spectatissimo, Senatus VVittebergens. Camerario meritisimo,
Ærarii Ecclesiastici, quod hic loci est, Curatori fidelissimo,

*Dominis Patronis, Promotoribus, Hospiti, & Fautoribus
suis magnis*

Exercitationem hanc Juridicam
Dicat & Consecrat

Daniel Riegel. Notar. Publ. Cæs.



Auxiliante DEO!

I.
DEpositum dictum est ex eo, quod ponitur, præpositio enim DE auget depositum, ut ostendat totum fidei ejus commissum *l. 1. pr. h. t.*

II.
DE enim etiam in aliis *ἀνεπιτηκόν* est, uti fit in vocabulis de verberare, de amare, de certare, de vitare, &c. *Taubm. in Plaut. Epidic. a. 1. f. 1.*

III.
Deponere igitur hîc idem est, quod fidei alicujus credere, custodiendum aut servandum dare. *l. 1. §. 8. h. t.*

IV.
Idque cum fieri soleat per conventionem, specialis inde nascitur contractus, qui depositum dicitur, quamquam id vocabulum sæpiusculè rem, quæ deponitur, designet *d. l. 1. pr.*

V.
In priori significato, quæ hîc propria est, definitur, quod sit contractus, quo res alicui gratis custodienda traditur, ut in specie restituatur.

VI.
SUBSTANTIALE primum est consensus, quia sine consensu nullus contractus existit *l. 1. §. 3. ff. de pact.*

VII.
Deponentem eo animo esse oportet, ut velit deponere: Depositarium eo animo ut velit quasi depositum suscipere. *l. 18. §. 1. ff. de R. C.*

Az

VIII.

VIII.

Nec refert, quibus verbis id fiat, scripto aut sine scripto *l. 26. h. t.*

IX.

Tacitus tamen consensus à parte deponentis non sufficit.

X.

Neque adeò, si quis inferat res suas in aedes amici, nisi declaraverit, custodiae causâ se id facere, depositum contractum dicetur.

XI.

Aliud tamen obtinet, si apud nautas, caupones, stabularios quid illatum fuerit *l. 1. §. f. & l. 3. §. 1. ff. naut. caup.*

XII.

A parte depositarii tacitus consensus sufficit.

XIII.

Ex dictis infertur, depositum contrahere non posse, qui in jure pro consentientibus non habentur.

XIV.

Tales sunt furiosi, mente capti, infantes, pupilli sine tutorum autoritate &c.

XV.

Cæteroquin deponere possunt, non domini tantum rerum deponendarum, sed & possessores tam bonæ, quam malæ fidei. *l. 1. §. 39. l. 31. §. 1. h.*

XVI.

It. mulier *l. 26. h.* filiusfam. *l. 19.* servus *l. 1. §. 17. 30. h. t. seq.* pupillus *pr. Inst. de aut. tut.* procurator *l. 11. §. 1. h.*

XVII.

Sic & suscipere depositum possunt omnes, qui possunt obligari, sive liber sit, sive servus *l. 1. §. 15. l. 21. §. 1. h.* sive pater sive filiusfam. *l. 1. §. 42. eod.*

XV. III

XVIII.

SUBSTANTIALE secundum, est rei traditio *l. 2.*
§. 5. h. t.

XIX.

Atque ea sæpè per fictionem brevis manûs expediri
solet *l. 25. pr. ff. h.*

XX.

Tradi autem per hunc contractum possunt res non
modo deponentis propriæ, sed & alienæ.

XXI.

Qua ratione à depositario res deposita deponi apud
alium potest *l. 16. h.* à Creditore pignus *l. 9. C. de pign. act.*

XXII.

Apud ipsum dominum tamen res ejus propria inu-
tiliter deponitur *l. 15. ff. h. l. 45. ff. de R. 3.*

XIII.

Bonorum immobilium natura non repugnat, quo
minus deponi queant *l. 3. §. fin. ff. de A. vel A. P.*

XXIV.

Commendari enim & custodiam recipere apta nata
sunt *l. 11. ff. de peric. & comm. rei vend.*

XXV.

Atque ea custodia non simplex est, sed annexum
habet mandatum curandi, uti in servis fieri solet, *l. 1.*
§. 9. h.

XXVI.

SUBSTANTIALE tertium, est custodia rei *§. 3. inst.*
Q. M. R. C. O.

XXVII.

Et ab hoc fine contractus hic formam suam essen-
tialem & specificam accipit.

XXVIII.

Atque hoc principaliter actum esse debet inter con-
trahentes.

XXIX.

Alia enim commercii species si primò & principa-
liter contracta fuerit, ut maximè custodia accellerit, de-
positum dici nequit *l. 1. §. 12. & 13. h.*

XXX.

In discernendis namque contractibus ad initium,
cujusque seu finem intentum respiciendam est. *Frantz. k.*
ad h. t. n. 9.

XXXI.

Custodia in deposito debet esse gratuita. *l. 1. §. 8. & 9.*
ff. h. t.

XXXII.

Mercede interveniente vel locatio conductio est, *l. 1.*
§. 8. 9. h. vel contractus innominatus. *arg. l. 22. ff. de prescr.*
verb.

XXXIII.

Honorarium tamen si datum vel promissum fuerit,
depositi naturam non immutat. *l. 2. §. 24. vi bon. rapt.*

XXXIV.

NATURALE INTERNUM primum est retentio
dominii & possessionis ex parte deponentis *l. 17. §. 1. h. t.*

XXXV.

Etsi enim res ipsa corporaliter tradatur depositario,
ille tamen propterea sibi non possidet, sed alteri, *l. 18. pr. ff.*
de A. v. A. P.

XXXVI.

Secundum NATURALE INTERNUM est restitutio
ejusdem rei in specie sive individuo *l. 1. §. 5. ff. de O. & A.*

XXXVII.

Utrumque hoc naturale graviter impugnatur ex eo,
quod conveniri queat, ut non eadem res, sed tantundem
reddatur. *l. 24. l. 25. §. 1. ff. h. t.*

XXXVIII.

At contrariam pactionem non ferunt naturalia in-
terna.

terna. Quomodo ergo ista duo pro internis & inseparabilibus venditari possunt?

XXXIX.

Dicam cum Jcto *ind. l. 24.* egredi eam rem notissimos depositi terminos.

XL.

Interest tamen, expressè ita convenerit, an tacitè, uti eleganter explicat *Franzkius b. t. n. 24. seq.*

XLI.

Et ubi expressè convenit, utrum ab initio id factum fuerit, an ex intervallo.

XLII.

Ab initio vel purè id fit, vel sub conditione, ut liceat depositario pecunià deposità uti, si velit.

XLIII.

Purè ab initio si convenerit, mutuum contractum, & deponens ab intentione deponendi discessisse videtur.

XLIV.

Sub conditione autem pactum conceptum non facit pecuniam mutuam prius, quam illa à depositario moveatur *l. 10. ff. de R. C.*

XLVI.

Ex intervallo si pactum adjectum fuerit ad rogatum depositarii, illicò pecunia fit mutua, antequam moveatur *l. 9. §. f. ff. de R. C.*

XLVII.

Disceditur enim tum à rationibus depositi, & novus inducitur contractus.

XLVIII.

Nisi fortè depositarius usum pecuniæ ita rogaverit, ut simul se ad præstationem usurarum obstrinxerit. Quo casu sustinetur depositum, ut usuræ præstari queant *l. 24. ff. b. t.*

XLIX.

Tacitè conventum de usu pecuniæ intelligitur, quando pecunia neque clausa neque obsignata annumeratur, tunc enim tacitè pactum censetur, ut tantundem reddatur *l. 31. ff. locat.*

L.

Etsi enim id negotium depositæ pecuniæ modum excedat, depositi tamen actio non denegatur *l. 26. §. 1. ff. h. t.*

LI.

Pertinet eò etiam pactum de usuris præstandis, quia & tunc usus pecuniæ permissus censetur *l. 24. ff. eod.*

LII.

In his talibus casibus depositum quidem valdè alteratur, non tamen prorsus extinguitur.

LIII.

Manet enim adhuc officium gratuitæ custodiæ, & restitutionis ad libitum deponentis.

LIV.

Atq; hinc depositum irregulare vocatur à Doctõribus.

LV.

Ferè enim fit, ut dominium rei depositæ fictione juris à deponente in quantitate retineatur.

LVI.

NATURALE INTERNUM tertium est, quod restitutio depositi fieri debeat, quam primùm deponens id repetit *l. 1. §. 22. ff. h. t.*

LVII.

Etsi enim certum restitutionis tempus à contrahentibus præfigi queat, depositori tamen quandocunq; voluntatem suam mutare licet *d. l. 1. §. 45. 46.*

LVIII.

LVIII.

Nec ergò pactum tale infringit qualitatē istam,
nec liberam repetendi facultatem deponendi aufert.

LIX

Nec proinde restitutio differenda est ex parte depo-
sitarii, nisi is physicè impediatur *d. l. 1. §. 22. h.*

LX.

NATURALE EXTERNUM consistit in præstatio-
ne culpæ.

LXI.

Videndum hîc, cujus gratiâ depositum fiat.

LXII.

Regulariter scil. & ut plurimum in gratiam fit depo-
nentis *l. 5. §. 2. ff. comm.*

LXIII.

Regulariter ergò dolus tantum præstatur *d. l. 5. §. 1.
23. ff. de R. J.*

LIV.

Et qui sub dolo continetur culpa lata *l. 32. h. t.*

LXV.

Quæ præstatio pactionem contrariam non admit-
tit *l. 1. §. 7. h. t.*

LXVI.

Aliquando autem utriusque gratiâ fit depositum,
quando scil. merces aut honorarium depositario datur.
l. 5. §. 2. ff. comm.

LXVII.

Et tùm culpa levis præstanda est, *d. l. 5.*

LXVIII.

Aliquando solius depositarii commodum sub est.
l. 4. ff. de R. C.

B

Et

LXIX.

Et tùm etiam de levisimâ culpâ, imò de casu insu-
per fortuito ille tenetur. *d. l. 4.*

LXX.

Ad eandem levisimam culpam tenetur depositari-
us, qui se obtulit. *l. 1. §. 35. ff. b.*

LXXI.

Ad casum fortuitum, qui causam damno dedit vel
culpâ vel morâ. *l. 12. §. ult. ff. b. t.*

LXXII.

Potest etiam ad præstationem culpæ omnimodæ
& periculi se quis obligare. *l. 1. §. 6. §. 35. ff. b.*

LXXIII.

Et hoc ideò quia naturalia externa & separabilia
pro lubitu contrahentium mutari possunt. *l. 5. §. 6. §. 7. ff.
de pact.*

LXXIV.

Deponens regulariter ex omni culpâ tenetur *l. 61. §.
5. ff. de furt. l. 31. ff. de pign. act.*

LXXV.

Antequam de actionibus ex hoc contractu venien-
tibus agamus, videnda est distinctio, quâ depositum aliud
voluntarium dicitur, aliud necessarium. *l. 1. §. 2. ff. b. t.*

LXXVI.

Illud plenam libertatem, hoc ex necessitate restri-
ctam supponit.

LXXVII.

Necessitas hæc ex tumultu, incendio, ruina, naufragio
ortum habet *d. l. 1. §. 2. §. 3. b.*

LXXIIX.

Cave tn. hinc necessarium ex contractu numero
excludas.

LXXIX.

Nec enim ideò consensus liber non est, quia ab ex-
ternâ dirigitur necessitate.

Cau-

LXXX.

Causæ impellentes ad essentiam rei non concur-
runt.

LXXXI.

Neque deliberandi spacium, quod in tanto peri-
culo negatur, omnem prorsus excludit libertatem.

LXXXII.

Liber ideò non est consensus, apud deponentem, quod
non possit eligere, cui rem commendet.

LXXXIII.

Sed liber est tamen in eo, quod ipsi integrum est,
utrum commendare Titio sibi obvio rem velit, an minus.

LXXXIII.

Et suadet periculum, non cogit, ut ei credat.

LXXXV.

Quæ res facit, ut depositum hoc miserabile dicatur.

LXXXVI.

His positis pergimus ad obligationem, quæ plerumq;
μόνον πλεονεξ est, & solum depositarium afficit.

LXXXVII.

Aliquando tamen fit *διπλενεξ* sive mutua, *pr. Inst.*
de auct. tut

LXXXVIII.

Ex post facto & accidenti id contingit, non inten-
tione primâ contrahentium.

LXXXIX.

Æquum enim est, indemnem servari depositarium.

CL.

Atque is id circò non impensas tantùm in rem de-
positam factas justè repetit, sed etiam damni per eam dat
restitutionem.

CLI.

Duplex hâc ratione nascitur actio, directâ & contra-
ria.

LCII.

Directa datur deponenti & ejus successoribus adversus depositarium ejusque successores. §. 3. Inst. Q. M. R. C. O.

LCIII.

Nec refert, cujus fidei fuerit deponens, cum etiã furi & prædoni hæc actio detur l. 1. §. 39. l. 31. h. t. dum ne concurrat, cujus petitio justior est, d. l. 31. §. 1.

LCIV.

Pro eo, quod servus deposuit, domino competit actio l. 1. §. 17. h. aut ei qui pro domino habetur d. l. 1. §. 27. §. 29. h.

LCV.

At si filius familias deposuit, non pater tantum ejus agere potest, sed & filius l. 19. ff. h. t. l. 9. ff. de O. & A. actione sc. utili l. 18. §. 1. ff. de judic.

LCVI.

Heredes si plures sint, quisque pro parte, quã heres est, agit l. fin. C. h. t.

LCVII.

Res verò si individua est, præstitã cautione tota restitui debet, l. §. 36. ff. h. t.

LCVIII.

Competit hæc actio adversus depositarium ejusque heredes l. 8. C. h. t.

LCVIX.

Neque liberantur heredes, si ex dolo defuncti agatur, l. 49. ff. de O. & A.

C.

Vnus nempe heres in solidum, plures pro parte hereditariã conveniuntur, l. 7. §. 1. l. 9. ff. h. t.

CI.

Datur etiam hæc actio adversus eum, qui jus sit suo nomine apud alium deponere l. 1. §. 14. h. t.

Non

CII.

Non datur aduersus eum, qui citra dolum facultatem restituendi non habet *l. 1. §. 21. 22. & ult. ff. h. t.*

CIII.

Petitur hæc actio tùm res ipsa, tùm fructus eius, & quicquid ei accedit. *l. 1. §. 25. h. t. l. 38. §. 10. ff. de usur.*

CIV.

Petuntur etiam usuræ siue ex pacto adjecto, siue ex usu, siue ex morâ, ut supra diximus.

CV.

Quod si reus sententiam condemnatoriam expectat, infamiæ notam incurrit, *l. 1. ff. de his qui not. inf. l. 10. C. h. t.*

CVI.

Lata tamen culpa huius poenæ fortè expers est. *Vid. Donell. l. 18. c. 8.*

CVII.

In deposito miserabili hoc singulare est, quod aduersus inficiantem in duplum detur §. 17. & 26. *Inst. de act.*

CVIII.

Tum enim crescit perfidiæ crimen, quæ vindicari publicè inter est. *l. 1. §. 4. h. t.*

CVIX.

Incidit adeò delictum in contractum, & facit actionem poenalem.

CX.

Nec tamen nova hinc ea putanda est actio, sed pristina ea adhuc est, ex contractu proveniens, qualitate poenali aucta.

CXI.

Atque hæc aduersus ipsum depositarium in solidum & in duplum & in perpetuum datur *l. 18. ff. h. t.*

CXII.

Adversus heredem ejus pro hereditariâ portione,
& in simplum, & intra annum d.l.18. nisi & ipsum similis
infirmitas gravet. *l.1. §.1. ff. h. t.*

CXIII.

Contraria depositi actio datur depositario & here-
dibus atque successoribus, adversus deponentem, ejusque
successores.

CXIV.

Eaque necessaria est, ut recipiat depositarius, quod
sibi abest nomine depositi suscepti. *l.5. ff. h. t.*

CXV.

Veniunt ergo in hanc actionem impensæ in rem de-
positam factæ *l.23. h. t.* tum & restitutio damni, si quod ex
re depositâ contigit. *l.31. ff. de pign. act.*

CXVI.

Et quia hoc iudicium de fide ruptâ non agit, nulla
inde condemnatio metuenda est infamia *l.6. §. f. ff. de his qui
not. inf.*

CXVII.

Ceterum ut maxime depositario obligatus sit de-
ponens, nulla tamen illi competit adversus actionem di-
rectam exceptio compensationis, ne quidem si ex utraq;
parte depositum fuerit *l.11. C. h. t. L. fin. C. de compens.*

CXVIII.

An autem retinere ille rem depositam propter im-
pensas factas poterit?

CXIX.

Multa hic lis est, quam componere nemo adhuc
potuit.

CXX.

Ego, si necessariae fuerint impensæ, retineri posse
nullus dubito. *Vid. Vinn. l.1. quest. 51.*

CXXI.

CXXI.

Sed & dominii exceptio restitutionem sufflammat,
quia depositum rei suæ consistere non potest *l. 45. ff. de R. I.*

CXXII.

Denunciatio tertii facta depositario, de non reddenda re deponenti, impedit effectum restitutionis, nisi cautio de indemnitate à deponente præstita fuerit *l. pen inf. C. h. t.*

CXXIII.

Neque denunciationis vim sublatam putamus per *Novell. 88. cap. 1.* sed poenis tantum coercitam statuimus. *Vid. Balduin. in Justinian. pag. 116.*



Sic prome ingenii dotes, sic excole mentem,
Fautor, præstanti notitiâ Themidos!

Sic olim capies fructum, sic voce sonorâ
Disperget laudes nuncia fama tuas.

G. Michael Heber, D.

Huma.

Humanissimo Juveni
DANIELI RIEGELIO,

Torgaviensi,
Notario P.C. dignissimo,
S. D.

C. S. SCHURZFLEISCHIUS.

N*emo sit facile existimator
intelligens, quin more tuos
probet, & studia amet, & pro-
gressibus etiam magnoperè dele-
ctetur. Macte igitur virtute
tuâ, hanc viam tenere pergas, &
quaes ingenii bonitate, nihil me-
diocre tibi proponas, & ad opta-
tam usque metam, quam vides
& vehementer expetis, usu pari-
ter ac ætate sensim procedas. In-
de forum te arcescet, & causis
agen-*

agendis idoneum poscet, & nisi
fallor, pulchrum aliquid, & in-
dustria tuâ dignum impertie-
tur. Age verò, charum caput, in
hoc fundo & possessione tuâ, po-
sitis firmiter vestigiis, consistas,
fretusq; opibus Divæ illius, seu
Helenæ mavis, quæ cumulum
fortè adjiciat, seu utriusq; tan-
dem amore tutò & suaviter sine
offensione & odio fruâre. Anno
MDCLXXIV. Idib. Mart.

Wer unermüdet hat den Fleiß dahin vertrauet
Wo er verwahret ist / und ihn mit Bucher hebt /
Zu recht bequemer Zeit / der hat ja wohl gebauet /
Und der ist Lobens werth / der immer höher strebt.
Was wil Herr Riegel wohl das / was er ietzt ablegt?
Ich gläube daß diß nun ein Tritt zum höhern sey /
E Ich

Riegel

Ich wüñdsche daß / wie er ein gut Verlangen träget
Dem Vaterland zum Nutz / Gott Seegen trage bey.

Mit diesen wenigen wolte seinen geliebten
Freunde schuldigster massen gratuliren

Gottfried Zur Horst. J. V. D.
Curiaë Electoral. & Consistor.
Eccles. Advoc. Ordin.

RIEGELI, Themidos Sacraë cupidissime
Cultor!

Egregiam sanè laudem & spolia ampla reportas
Famaë Virtutis doctrinarumqve Tuarum
Sedulus à teneris nec non juvenilibus annis
Artes palladias magno conamine mentis
Qvod seqveris totus flagrante accensus amore.
Gratulor hunc animum TIBI, pulchrum gratu-
lor ausum,

Et precor extremum hunc ad votum tendere
nisum

Sublimi è Cathedra qvo cedro digna locutus
Doctorum lateri socieris in ordine primo
Virtuti fortuna fave; irrequiete labore
Decurre hoc studium. Laudes sic fera loqvetur
Fama Tuas: nomenq; Tuum super astra reponet.

ex animo adprecatur

Christianus Vater D.
Riege-

RIEGELIUS magnâ nunc strenuitate secundum
Disputat & dubio Juris agone calet.

Cudonem Themidos ferventi prensat & ambit
Mente. Deus det Ei, posse ferire scopum!

Hæc quantulacunque adponere
volebat, debebat

Joh. VVendelinus *Wöller* /
Præfecturæ Electorali, quæ hic
VVittebergæ est, ab Actis.

Qui rude deposuit versatis semen in agris
Autumno, sperat germina vere novo.

Turget tunc etiam herba nitens & roboris experts
Et spe delicias omnis agrestis habet.

Confirmat spes has æstas robustior annus,
Fructibus & variis femina reddit ager.

Quid benè de culto magis optat agrestis agello
Quàm largos fructus? Sic Studiosus agit.

Nam qui Musarum deponit femina campis
Ipsi fat, messem si sua reddat humus.

Quid profit Musis omnem deponere curam,
Sunt in *Riegelio* cognita vera diu.

Scilicet immenso cum fœnore redditur ipsi
Depositum, justî causa laboris adest.

Fru-

Fruētus adest, in tales contendisse labores
Mentem nō tædet, nunc quia fructus adest.
Qvis non de cathedrâ magnâ contendere voce
Riegelium cernens docta relata tulit?
Vidimus interius prolixam in pectore multis
Hocce super specimen spem micuisse fatis.
Clarius erumpet privatis mensibus aptum
Quod fuit, & cunctis ora videnda dabit.
Scilicet in vulgus spargetur fama, quod inter
Doctores Juris mox numeratus agas.

Ita Nobilissimo Domino Respondenti

J. U. Candidato dignissimo grat.

Nobilissimi, atque Amplissimi

DN. HAHNII,

Circuli Electoral. & Wittebergæ

Praefecti meritissimi

COMMENSALES.